



135

133

139

sicut barcae Venetianae, sed multo longiores, et paratis naviculis
arundinetum paludis ingressi sunt et multis diebus cum maximis
difficultatibus penetratis arundinibus venerunt in locum profundissimum et magnum, quo transito ad duas rupes grandes venerunt,
ex quibus vis ingens fluminis emanabat et lacum ac paludem faciebat. Ab hoc loco ulterius procedere non poterant propter altitudinem montium, quos transire impossibile videbant et ita ad propria reversi, non alia experti, quam illa. Dicitur etiam de vita Philosophorum, quod Plato spretis omnibus amicis et divitiis, quibus abundabat, Nili inexplicabiles ripas peragravit.

129

144

124

184

084

234

034

Origo ergo ejus est in paradiſo, inacceſſibili quidem loco, sed non inabitabili, quia, licet locus in Oriente sit, non tamen est inter duos tropicos, quia talis locus secundum Aristotelem 2. Metaphys. est inabitabilis propter nimiam caliditatem, cum ibi sol in anno bis transeat; sed creditur esse extra tropicos versus Orientem aestivalem vel hiemalem, vel forte est inter duos tropicos sub aequinoctiali circulo, ubi dicunt de sphaera materiali praedicantes esse regionem temperatissimam. Ab hac defluens Nilus progreditur per ignotas et incognitas nobis terras et per inabitabiles, imo intransmeabiles regiones, ut hospes a remotissimis locis veniens, lacum ingentem facit et demum ex lacu rapido sese procipiens impetu insulas grandes facit et regionem cinamiferam pertransiens variis incitatus irritamentis montium coartatur rupibus, ex quo torrentior factus ad eum Aethiopicum locum deveniens, qui Cattaduppa vocatur, tam violenter inter obvios scopulos suo impellitur impetu, ut vasto aquarum se frangentium rumore incolarum aures in surditatem usque laedat, adhuc autem atrox spumansque amplio gurgite usque ad Elephantem regionem devolvitur, hinc deposita violentia lenis, placidus ac navigabilis efficitur et primo circa Cercasorum oppidum incipit esse triplex, cuius pars una ad Delta in Chayrum et Meliam declinans iterum separatur, et sic divisus atque vagus aliis etiam alveis varie separatis in septem postremo totus divisus partibus omnem Aegyptum irrigat sole in cancro existente annuo incremento, sicque totam Aegyptum amplexus haud dubium Dei ordinatione arenoso et sitienti solo aquam et terram inducit, nam hoc duplex malum, quod comminatur Deus Judaeis non servantibus praecepta Dei Levit. 26. dicens: Dabo coelum desuper ferreum et terram aeneam etc., adest

Ende

Anfang